



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Gnoti Seautón, Sive Arnoldi Geulincs Ethica**

**Geulincx, Arnold**

**Lugd. Batav., MDCLXXV**

De Despectione Sui, §. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48728](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48728)



Quantum ad quartam partem. Similiter involuntarius, sed insuper invitus sum ubi turpitudinem agnosco meam, atque stultitiam, qui quod subire debeo, invito subeo, & valere aliquid volo, ubi valere me nihil scio. Hæc N. 13.

Brevis horum recapitulatio in duodecim articulos digesta proponitur N. 14.

§. 3. Sui Despectio.

**A**ltera pars Humilitatis est sui Despectio: Hæc est Humilitatis complementum; cum inspectio rudimentum

I. Ad §. hujus titulum *Sui Despectio*. Videmus præcedenti §. nos, quantum ad humanam conditionem attinet, nihil valere: nihil, inquam, valere nos videmus, quia clarissime vidimus, nos modum istius conditionis omniumque partium ejus penitus ignorare. Hinc jam emergit Ethices axioma (nam quæ præcedenti §. continentur, omnia spectant ad Physicam vel Metaphysicam, Theoretica sunt, & non practica; tantum accommodatè ad Ethicam diducta sunt) *Ubi nihil vales, nihil etiam velis.* (Nota hoc axioma continere utramque partem humilitatis, inspectionem inquam & despectionem: *Ubi nihil vales*, hic) sonat inspectio sui ipsius (hoc enim inspiciendo nos ipsos, præclarissime discimus nos quoad totam humanam nostram conditionem, singulasque ejus partes, nihil prorsus valere, seu nihil quoad ista nos posse, ut vel ita sint, vel aliter sint, vel etiam non))



tantum aliquod & initium contineat ;  
\* Hæc tamen Forma educenda nobis est  
ex ista Materia : latet in ejus gremio.  
Consistit ea Despectio in mei ipsius dere-  
lictione qua ego Deo, cujus, ut vidi, totus  
sum (totus huc veniendo, totus hinc agen-  
do, totus hinc abeundo) totum me relin-  
quam, transcribam, dedam : nullâ mei  
ratione ducar, omnem mei à me curam  
studiumque deponam ; Et qui nihil in rem  
ullam juris habeo, ne in me ipsum quidem,  
nihil etiam istius juris affectem ; non quod  
mihi lubet, sed quod Deus jubet curem :

Hic non

non sint.) *Ibi nihil velis* ( hic sonat altera pars hu-  
militatis, scil. despectio sui, seu derelictio sui quo-  
ad totam humanam conditionem, & resignatio in  
ejus manum & potestatem, in qua equidem veli-  
mus, nolimus est.) seu, ( quod idem in re est, )  
*nihil gratis, nihil frustra faciendum est* : quo princi-  
pio nihil clarius in rebus practicis fingi potest : cui  
qui reluctari vellet, non posset non esse stultissimus :  
& solemus passim homines eos vocare stultos, quos  
videmus facere vel attentare aliquid, in quo nullo  
negotio prospicere poterant se frustra fore. Nihil igitur  
velle quod ad conditionem nostram pertinet, eam  
totam relinquere ei, in cujus potestate est, hoc vero  
est se ipsum despiciere, hoc est virtutem in humilitatis  
inconcusso fundamento adificare. Magnopere hic  
& in præcedenti s. lege ea, quæ ex Belgicâ sunt ver-  
sione, & præcipue marginalibus notis huc translata  
ad litteram, b.

\* Qui humilis est nihil quicquam propter suam fe-  
licitatem agit.



non de mea felicitate, beatitudine, solatio; sed de mea obligatione laborem.

§. 4. Prima Obligatio.

Procedens igitur juxta illud propositum, tam evidenter ex mei ipsius inspectione deductum, tam probum, tam legitimè fundatum: video primùm hanc esse meam obligationem: Cum me Deus evocat è vivis & redire jubet, non longè recusare; sed præsto esse, & advolare promptum ac alacrem: non moras necesse (nam qui tardè fecit, diu noluit)<sup>1</sup> & ne quidem conscientia rei hinc malè gesta, à revertendo deterreri (nam servus, quem delicti sui conscientia remoratur: & hero

vocatur

<sup>1</sup> *Video primum.*] Prima Obligatio & prima despectio nostrum quadrat in ultimam inspectionem nostrum: ita ut ibi despectio incipiat, ubi inspectio desinit: ultima enim inspectionis pars circa mortem nostram versabatur; circa eandem versatur prima pars despectionis: merito etiam hoc primum despiciendum proponitur, quod maximè arduum est: nam quoad reliquas partes humanæ conditionis, ignari tantum & involuntarii sumus, quoad hanc partem insuper etiam inviti plerumque sumus.

<sup>2</sup> *Et ne quidem conscientia rei hic male gesta à revertendo deterreri.*] Prætextus admodum usitatus, quem vulgo obtendunt sceleri & inobedientiæ suæ; *Mori quidem non recusarem, si cum conscientia mea bene agerem;*

reverti;